

5

*D. B. I*  
AVSPICIO RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI  
SERENISS. PRINCIPIS REGI  
FRIDERICI AVGVSTI  
*DISSERTATIONE POSTERIORE*  
AINON AICMA

PRAESIDE  
IO. GVILELMO BERGERO

POES. PROF. PVBL

*A. D. XII. KL. MARTIAS*

A. R. G

∞. 100 CVIII

EDISSERET

M. IO. SAMVEL LVPIVS

DELITIO MISNICVS

---

VITEMBERGAE SAXONVM  
PRELO GERDESIANO

FRIDERICI AUGUSTI  
ALION A: Q: M: A  
IO. GUILIELMO BRUNNO  
A. M. S.  
M. JO. S. A. M. S.  
NITENBERGAE SAXONIAE  
TRELO GERDESIAO



## I.

**C**ommemorat, ut diximus, Eustathius *ποιημάτων* aliquod in Linum, quod laudent ueteres, et pro antiquo in Linum lessu habere uideantur. Ne uero ingeminem illa, quae de scriptis Orphei sagacioribus dubia sunt et suspecta iamdudum uisa, uix scio, ipsumne nomen carminis, quod professi sunt illi, argumento, ad quod accommodatur, liquido respondere uideatur. *σφαῖραν* uocant: quod uerbum Cicero modo globum interpretatur, modo adhibet, non secus ac Latinum, nomen Astronomis tritum et perfamiliale. cuius generis *σφαῖραν* Empedocles, Proclus, Manilius, alii scripserunt complures, ipse quoque Musaeus, Orphei discipulus, Sphaeram primus uersibus exposuisse dicitur, apud Diogenem Laertium principio libri I. uix enim dubitem, quin ita capiendum sit τὸ ποιῆσαι, praesertim cum de Lino etiam, idque *συγγρατικῶς ἢ παραλλήλως* infra sumatur. idem uisum est Vossio patri, qui tamen Musaeum, qui Sphaeram scripserit, ab illo Herculis aequali, distinguit. ipse Linus in hanc sententiam, *ἡλίου ἢ σελήνης πορείαν* explicasse fertur. quam tamen globi coelestis notionem dubito, quemadmodum ad moerorem referam, quo Linus desiderabatur: nisi forte dicamus, eo quidem indicio Linum a discipulis in Deos relatum fuisse. sed quoquo modo res habet, *λίνον* ab Lino dictum fuisse carmen, accepimus, non perinde, *σφαῖραν*, quod quidem legere meminerim, si discessero ab Eustathio & Varino. Neque eo secius huius generis breue poema, quale magnus enarrator Homeri memorat, expromunt nobis ueteres, necdum editi, explanatores Poetae, qui *λίνον* aiunt, dici de cantu lugubri, et *tenui uoce* efferri solito, eiusdemque talem dant formulam, qualem Lino mortuo cecinerint Musaei.

Ω Λίνε θεοῖσι τετιμημένε δις. Φοῖβος δέσε ἀναίρει, Μοῦσαι δέσε  
 A 2 βρη-

ἄρνυός τω &c. *O Line, o diis honorate &c. Apollo quidem te occidit, Musae autem te lugent &c.* ubi quid dicamus de loco non integro, uix habemus, et deprehendimus quidem aliquid ex initio alterius, quod afferemus, Epigrammatis, cetera tamen non satis conuenire uidemus, sed tantum reddimus, quantum publice dedit Vir Illustris, quem honoris causa nominamus, Ez. Spanhemius, e commentariis manu exaratis, quae apud H. Vosium euoluit, et laudauit ad Callimachi Hymnum in Delum p. 466. et 467. Nihil eius recitauit, quod uideam, Eustathius, quem mirarer, peruoluisse et triuissse, sicuti praediximus, easdem antiquas in Homerum commentationes, ex iisque summissse plura, hoc autem poemation ita neglexisse atque omisissse penitus, ut maluerit alia ceterioris aevi commemorare, si quidem idem a Sphaera, quam meminit, nihil differre putasset. Nec tamen silentii, cuius plures possunt esse causae, ea semper uis est, ut iccirco, in antiquitatis argumento, auctoritatem defugiamus antiquiorum. Nec uero nos offendat natium et simplex dicendi genus, quod in primis sequuti sunt ueteres, iique tam historici, quam oratores, et, quoad res fuit, poetae, neque in Graecia magis, quam in ipsomet Latio, alieni prorsus, et remoti longius ab illa argutae dictionis affectatione, quae quantam ambitionem scriptorum, tantum nouitatis studium, et scripturae uitium corruptelamque prodit. Demus sane illa, et doleamus, uersus hos non integros e membranis exhiberi, quo eos cum aliis ueterum querimoniis et antiqui Iesus exemplis comparare, et quid existimarit de Lino antiquitas, plenius, et propius nosse possemus. Ab Eustathio tamen, ut uerum dicam, praeteriti uidentur, quod suspecti erant, nec de iis statui potest, quod horum ne ullus quidem scriptor nominatur. tanto minus Orpheo, cuius *σφαίραν* laudabant nonnulli, tribui posse uidentur, quod, cum lingua  
Do-

Dorum fuisse locutum, confirmat Metrodorus medicus, familia Pythagoreus, apud Iamblichum libri, quem composuit de uita Pythagoræ cap. XXXIV. nihilo minus non nudius tertius facti uidentur, quos antiqua σχολία retulerunt, nec tamen, ex horum fide, ad ætatem Lini possunt referri, quando constat, uetustissimos Scholiastas iuniores esse Ptolemaeis regibusque Pergamenis.

II.

Eos tamen uersus adhibere musici, et tenui atque inclinata uoce canere consueuerunt, si ueteres illos audiamus. Id uero argumenti ratio postulabat in omni, qui Lino fiebat, lessu, ut pressis et flebilibus modis, qui omnibus inoestitiam inferrent, concineretur, quo adeo tam numeri, quam modi, doloris significationi responderent. quod quidem non solum de assa uoce accipiendum esse, sed etiam de cantu uocum et neruorum, testatur Homeri locus, ubi Δίος ad citharam canitur, Il. Σ. u. 569. quam uocis et Lyrae coniunctionem inuenimus etiam Il. α. u. 604. et Hymni in Mercurium u. 434. atque huic quidem rei, in recitandis pronunciandisque huius generis lugubribus carminibus, tantum studebant atque assueuerant ultimi Graeci, ut ea quidem tempestate idem fere, quod ἄλγεον μούσαν dixerat Euripides de incondito et inconcinno cantico, proferre uideretur is, qui ἄνευ λύρας ὑμνοῦσθε θεῶνων, apud Aeschylum Agam. u. 999. quemadmodum dicitur Linum ipse, qui pater dicitur, Apollo.

Et *Linon* in siluis *Idae* pater *Aelinon* altis

Dicitur *inuita* concinuisse *lyra*.

Ita quidem Nasonem, in ἐπισηδίων Tibulli lib. III. Amor. Eleg. IX. scite emendat perelegantis uir ingenii, I. Rutgersius Venus. Lect. cap. V. uide tamen, quae ad hunc Ouidii locum notat N. Heinsius pag. 286. Alioqui de tuba ueterum et tibia perinde constat: ad quarum alteram maiori, ad alteram minori ætati funus plerumque fieri solebat, ut Seruius ad quintum

Aeneid. et Lutatius ad Thebaid. sextum observant. Apud Lucianum est ἡ πρὸς τὸν αὐλὸν τερνοτυπία, Dial. de Luctu pag. 435. Sigillatim memoratur tibiae genus, quod e Phoenice arcessitum, Musæ Caricae comparabant, et γίγγραον nominabant, non secus ac γίγαντα μέλη carmina, quae cantabantur ad gingras. Dicitur autem misisse *lugubrem et flebilem uocem*, siue γοῶδη καὶ θρηνητικὴν Φωνήν, ut loquitur I. Pollux lib. IV. cap. X. Gl. γοῶδης. *luctificus*. ut intelligi possit, eum quidem tibiae cantum ad luctum, in animis ciendum, pertinuisse. nec uero aliud indicarunt Critici illa tenui, quam diximus, uoce. Gingram uero ab ipsomet Gingra, quo nomine Adonim appellant Phoenices, dici putat idem Pollux. atqui uero simile doctis quibusdam, ut infra dicemus, est uisum, qui lugeatur Adonis, ipsummet esse Linum. quamuis igitur paullo aliter, ac Pollux, de appellatione Gingrae sentiat Ger. Io. Vossius Lib. II. cap. IV. Theol. Gent. illud tamen nobis relinquatur, in consimilis, ut exponemus, argumento luctus ueterum, quos laudauimus, eruditorum sententiam et confirmari, et exemplo Gingrae illustrari. Ceteroquin ad hoc tale institutum lamentandi adhiberi solebant modi Lydii, qui maxime luctui conuenire uidebantur. Inde *Lydium querulum* uocat Apuleius lib. I. Florid. et Miles. IV. *querulum Lydii modum*, et *lugubrem ululatum*, quibus opponit *sonum tibiae Phrygiae, cantumque lactum Hymenaei*. Ita uero nobis Scholiaetae illi, si non poema, quod quaerimus, omni dubitatione expeditum, at occasionem tamen dederunt cogitandi, quemadmodum fere modulatio hymni tam celebris apud ueteres instrueretur.

III.  
Ceteroqui Linus a poetis cultus memoratur θρηνώδεις ἀπ-  
αρχαῖς, iidemque eius deploratione inter se certasse dicun-  
tur: ut miremur, ultimam, quae quidem uersibus illustra-  
ta sit, antiquitatem tantam luctus dare significationem uo-  
luisse,



luisse, si quidem aut plane non fuerit Linus, aut non eminenti quadam gloria acui sui clarus. In quam sententiam quoddam, idemque uetus, est Epigramma, ab Eustathio, et Varino laudatum.

Ω Λίνε πάντα θεοῖσι τιμιμένη, σὶ γὰρ ἔδωκαν  
ἀθάνατοι πρῶτω, μέλος ἀνθρώποισιν αἰεΐδειν  
Ἐν ποδὶ δεξιτερῶ. μούσαι δέ σε θρήνεον αὐταὶ  
Μυρόμεναι μολπῆσιν ἔπει λίπες ἡλίου αὐγᾶς.

al. τετιμη-  
μένε.

Sunt etiam in reliquiis Hesiodi uersus, tanquam e naufragio tabulae, nobis seruati, quos idem Eustathius expromit.

Ουρανή δ' ἄρ' ἔτικτε Λίνον πολυήρατον υἱόν.  
Ὅν δὴ, ὅσοι βροτοὶ εἰσιν αἰοῖδοι καὶ καθαρισαί,  
Πάντες μὲν θρηνοῦσιν ἐν εἰλαπνίαις, ἠδὲ χοροῖδιν.  
Ἀρχόμενοι δὲ Λίνου καὶ λήγοντες καλέουσιν.

al. emen-  
datus εἰ-  
λαπνίαισ-  
τε χοροῖσ-  
τε.

Atque haec quidem posteriora duo poemata, quae de Lino nobis reliquerunt ueteres, ita respondent illi, quod attulimus, primo, ut ei, si tanti putamus, ἁολίων esse loco posse uideantur. Cuncta uero haec tria cum magnopere inter se consentiant, aut exprimere quoquo modo uidentur Lini ueteris sententiam, aut ab ea propius abesse, aut saltem uirtutes dignitatemque, quibus eminuerit inter aequales Linus, publico quodam iudicio confirmare. Quibus inter se comparatis haec, licet, eliciamus: *Linum, Diis adeo carum, ut huic demum primo dederint facultatem scienter canendi, de medio sublatum ab Apolline esse illum quidem, sed a Musis, et artis musicae scientibus complorari, quibus sit tantum sui decus tam subito ereptum.*

#### IV.

Ratio atque institutum lamentandi casum Lini, eiusque fortunam commiserandi, eo pertinuit, ut, placatis illius manibus, periculo morbi pestilentis liberarentur Argini, ob eamque rem θεῖνος ille, quem persequimur, ipsa fuit expressus

fus necessitate, si redeamus ad Cononem. At enim alius, ac fabulatus est Conon, idemque laude, qua Linum ornauit antiquitas, dignior, nobis inuestigatus est, neque morsu canum discerptus ille, uerum Thebis, ut tradunt quidam, sepultus, et carminibus ad moestitiam compositis, quae *Λινωδία* uocabantur, cohonestatus. in quam sententiam nonnihil e Philochoro tradit Eustathius, plura tamen ex eiusdem schedis promunt *ἀνέκδοτα χόλια*, quae superiori loco laudauimus e diphtheris Vossianis. Ipse quidem artifex Etymologici *Μ. θεῖνον* illum, qui Lini nomine inscribitur, interpretatur *ἐἰς τιμὴν Δίνης* u. *Διωνον*, eundemque, causa est, quamobrem potius ad dignitatem Lini, quam ad ullam expiandi legem necessitatemque, ipsorummet confessione ueterum, referamus. Non uacat uel in medium reuocare iam expositas, uel uberius hic persequi laudes ceteras, quibus meritorum opinio Linum cumulauit: sed, quod satis erat ad amplissimam ueteris aevi existimationem, cognita est Lini scientia rei musicae, disciplina, admiratio, adeo ut Lynam uel inuenisse, uel ab Apolline filius Apollinis accepisse dicatur. tum neminem fugit, quae cum musicis coniungitur, et prisco sapientiae palmam sibi poscit, mirifica poeticae siue facultas, siue commendatio, Virgilio, Propertio, aliis memorata: recitatus iam supra magnus et diuinus honos, qui ei, publico et solemni parentandi ritu, tamquam heroi, quoque anno habebatur. Videbatur igitur ingenii et uirtutis postulare dignitas, ut gloria, meritis parta, non solum carmine posterorum memoriae proderetur, sed etiam omni acuo praeflaretur exemplum uirtutis excolendae, ipsaque numeri dulcedine tanto magis commendaretur. Prisco erat temporibus genus quoddam honoris, uel diuini, uel diuino proximi, cum carmina, quibus uel Dii, uel proximi Diis heroes colebantur, Deorum herouumue nomen fusciperent, tamquam

zui  
Pacan,

Paeon, et Dithyrambus, quando hae uoces ipsa Apollinis, et Bacchi nomina designabant. Apud Eustathium uero Linus a ueteribus numeratur in heroibus, et poema, quod huius nomen tulit, *ἑίδος ἕμνου* exponitur a Criticis, eoque iudicio declaratur, Lino carmine, quod illius nomine dicitur, honorem non civilem popularemque tribui, sed qualem consueuerint impertire, qui uel praeceptores, uel alios seculi sui eminentissimos uiros, in Deorum coetu concilioque, pro capto religionis suae, collocarint. non ignota sunt exempla Zamolxis, Abaris, Orphei, Pythagorae, aliorum, quibus Linus annumerat L. Holstenius ad Porphyrium de uita Pythagorae pag. 28. atque his quidem talibus sapientiae principibus et ueluti parentibus potiori iure diuinos honores tribui, quam Cereri, Baccho, Herculi, et consimilibus, professus est Lucretius.

- - - *Deus ille fuit, Deus, inclute Memmi,  
Qui princeps uitae rationem inuenit eam, quae  
Nunc appellatur Sapientia, quique per artem  
Fluctibus e tantis uitam, tantisque tenebris,  
In tam tranquillo, et tam clara luce locauit.*

Has autem docendi partes sibi non unus forte sumserit Epicurus, uerum potiori quodam iure illa, in qua Linus excelsit, ueterum sapientia, quae seueritatem praecipendi suauitate temperauit, quod tamen simplex ac nudum ab hominibus, rerum iudicio nondum imbutis, facile spernitur, id nouo peregrinoque induit habitu, ut iucundius et facilius uiuendi modus et excoleretur ratione, et moribus constitueretur. Illa uero Lucretii sententia cum superstitionis errore non uacet, iudicium tamen exponit antiquitatis, ut nihil sit mirandum, si, non minus honoris antiquitus haberi Lino quoque potuisse, forsitan opinemur. Fuerit a more ueterum non aliena illa quidem, magis tamen recondita, et antiquitatis sententiae

tiae iudicioque coniunctior esse uidetur causa, quamobrem sapientes ad sepulturam cum cantu profugerentur. Quod ut fieret, complurium populorum et regionum instituta sanxerunt, cum persuasum ueteribus esset, animos, corporis uinculis solutos, *ad originem dulcedinis musicae, id est, ad coelum redire*, ut tradit conceptis uerbis Macrobius lib. II. cap. III. in Somn. Scip.

V.

Honos Lino habitus non stetit intra fines Graeciae, sed una cum desiderio uirtutis, de medio sublatae, transiit ad barbaros, eosdemque sensu doloris commouit, atque ad societatem luctus adduxit, utor fide Pausaniae, quo auctore, uis sensusque moeroris peruenit ἀρχὴ τῆς βαρβάρου πάσης, atque adeo Asiam peruasit. sic enim barbaros dici nouimus, et explicat Graecus Euripidis explanator, ut Asiam opponat Europae. Ἡ γὰρ Ἀσία τῆς βαρβάρων χώρας. ἡ δὲ Ἑρώπη τῶν ἑλλήνων, ad Orestae u. 1399. Cuius quidem rei, atque adeo ipsius, de quo agimus, carminis memoria extitit in Phoenice, et Cypro, atque in ipsamet Aegypto, si audiamus amplius, ut exponi solet, Herodotum lib. II. c. LXXIX, dignus est locus, quem persequamur aliquanto diligentius, quando et ipsius Herodoti expromit admirationem, et fontes, e quibus riuiolos duxerunt alii, appetit, et rei, quam edisserimus, famam ipsa locorum gentiumque celebritate unus omnium maxime distinguere uidetur.

VI.

Hic autem admirationi, quam professus est Herodotus, et quae nos quoque aliquantum suspensos tenuit, occurrit sagacitate doctrinaque sua, quam in animaduersionibus Hesiodicis non mediocrem probauit, amplissimi uir ingenii, Io. Clericus, et contendit, Λίνον, quemadmodum supra retulimus, originis esse Phoeniciae, et tam Phoenicibus atque Aegyptiis, quam Graecis, eadem uocis appellatione *lugubrem cantilenam*, siue lugu-

lugubrem hymnum notari non parum, fateor, docet, qui  
nostra memoria docet ex literis Aegyptiis, quod intel-  
lexerit Graecorum nemo. pace tamen uiri peringeniosi  
dixerim, principio mirarer ego uehementer, Herodotum  
ab iis, a quibus multo plura potioraque, et quae ad ipsas  
origines mysteriorum attinent, alioquin et deceptus inter-  
dum, acceperat, eam nihilominus uini uerbi perdiscere  
non potuisse, siquidem miratus id esset tantopere, un-  
denam Linus apud Aegyptios nominaretur. eo quidem  
genere carminis indicari *θεήνωνς*, ipse iam dudum, ab  
aliis edoctus, didicerat, et docuerat infra. deinde alia  
forte comperiemus omnia, si quidem ipsummet Hero-  
dotum, pro eo ac par est, propius contueamur. nam su-  
pra descendit ab Aegyptiorum conuiujs ad eorum hymnos,  
quos *νόμους* dicit. *πατριούς* autem *νόμους* fatius est, exponi  
*patrios hymnos*, quam uulgo *mores*, idque auctoritate I. Pol-  
lucis lib. IV. cap. VII. Scholiastes, ac potius Scholiastae Ari-  
stophanis. *νόμοι δὲ καλῶνται οἱ εἰς θεοὺς ὕμνοι*. principio Equit.  
ad u. 9. cuius significationis exemplum cum desideret H. Ste-  
phanus, poterat illud quidem, certe debuerat, inuenisse in  
ipfomet Herodoto, quem post Vallam susceperat recogno-  
scendum. sed neque Vallam corrigit hoc loco, neque huius  
quidquam Aemilius Portus obseruat. Plutarchus autem  
Olympum, Marfyae discipulum dixit libro de Musica *πεποιη-  
κότα εἰς τοὺς θεοὺς νόμους, qui in Deos Nomos seu Hymnos fe-  
cit*. Callimachus etiam *νόμον Λυκίοιο* habet, quod *ὑμνον* ex-  
ponit Anna Fabri, suffragante Ill. Spanhemio, quem, si plura  
uelis, adi ad u. 304. Hymni in Delum. addo Scholiasten  
Thucydidis, qui lib. V. *νόμους πολεμικοὺς* exponit *τὰ ἄσμα-  
τα, ἅπερ ἦδον οἱ λακεδαιμόνιοι, μέλλοντες μάχεσθαι*. Atque  
horum quidem hymnorum, qui domi sint nati, et a ma-  
ioribus traditi, tam retinentes Aegyptios esse ait Herodotus,

ut nullum alium asciscant. nihil huc, quod sciam, notat editor Britannus, rem tamen omnem, quam inuestigamus, exponere uidetur Plato, idemque uerfatus in Aegypto, lib. II. de Legibus p. 577. cui quidem perinde uidetur admirabile, ea, quae de cantuum delectu in republica praecipiat, antiquis Aegyptiorum comprobari moribus, apud quos, fere solos, publica lege cautum fuerit, ut bonis et figuris, et cantibus assuefcant iuuenes, atque ut, praeter ea, quorum ratio modusque in Pontificalibus et ritualibus libris definiatur, nec pictoribus, neque aliis uel figurarum, uel aliarum quarumcunque rerum, artificibus atque architectis fas sit uel afferre noua, uel alia, praeter patria, excogitare, necdum idem eis licere, ait, neque in iis, quae meminere, neque in omni, qua patet, musica, atque adeo, quod elicimus inde, nec in poesi, quae cum ipsa musice coniungebatur. magis est operae pretium, ipsummet audire Platonem. Θαύμα κ̄ ἀκούσαι. παλαι γὰρ δήποτε, ὡς ἔοικεν, ἐγνώθη παρ' αὐτοῖς (Αἰγυπτίοις) οὗτος ὁ λόγος, ὅν τῶν λέγομεν ἡμεῖς, ὅτι καλὰ μὲν χήματα, καλὰ δὲ μέλη δεῖ μεταχειρίζεσθαι ταῖς συνθεαῖς τοὺς ἐν ταῖς πόλεσι νέους. Ταῖς ξάμενοι δὲ ταῦτα ἅττα ἐστὶ κ̄ ὅποῖ ἅττα, ἀπέφηναν ἐν τοῖς ἱεροῖς, καὶ παρὰ ταῦτα οὐκ ἐξῆν ὅτε ζωγράφοις, οὐτ' ἄλλοις ὅσοι χήματα κ̄ ὅποῖ ἅττα ἀπεργάζονται, κακοτομέν, οὐδ' ἐπινοῶν ἄλλ' ἅττα, ἢ τὰ πάτρια. οὐδὲ νῦν ἔξεσιν, οὐτ' ἐν τούτοις, οὐτ' ἐν μουσικῇ συμπάσῃ. ubi καλὰ μέλη generatim uocare uidetur, quod sigillatim πατρίους νόμους dixit Herodotus. auctor etiam est Porphyrius, Aegyptios rerum domesticarum et patriarum tam fuisse studiosos, ut eorum sapientibus patriam egredi, grande nefas duceretur, ne quibus externorum populorum studiis corrumpere, eisdemque τὸ ἐμμεῖναι τοῖς πατρίοις tantae fuisset curae, ut, si uel latinum unguem discesserint ab iis, submoti sint et pulsi, lib. IV. π. ἀποχῆς cap. VIII. uniuerse eam gentis huius indolem moremque deprehendit Herodotus, ut uelit neque Graecorum, neque aliorum ullo-

illorum hominum institutis uti, adeo ut, cum ab Aegyptiis multa mutuati sint Graeci, ab his illos accepisse quidquam, non audeat idem profiteri. quorsum nomino lib. II. cap. XLIX. et cap. XCI. Adeo rebus institutisque patriis atque auitis studebant Aegyptii, ut externarum gentium cantus, atque adeo Linum, neque agnoscere, neque amplecti uellent.

VII.

Videbatur Platonis locus ab Herodotea sententia non alienus, praesertim cum μέλη exponat per ποιήματα, nisi alii, ii que non minoris famae, quam rei, ibidem per Ἰσίδος ποιήματα modulus Musicos, non carmina, intelligi mallerent. Si qua licet tamen his, quos in primis ob eruditionem factis probatam, colimus alioquin et colimus, in argumento liberalis doctrinae modeste dubitationes nostras exponere, ea forte, quae in contextu Platonis antecedunt, aliud docere uidentur. Nam seuerus magister moris, publica disciplina constituendi, negat, in republica, bonis legibus fundata, eam dandam Poetis esse ueniam, ut, quidquid in poesi ῥυθμῶν ἢ μέλους, ἢ ῥήματος, siue quidquid numeri, uel moduli, uel uerbi poetam delectet, idem et doceat, atque adeo aetatis nondum confirmatae animos, arbitrato suo, uel ad uirtutem, uel ad uitium inflectat. haecenus per partes et distincte. idem uero illud in omnibus urbibus, ait, licere, si quidem ab una discesseris Aegypto. iam, ex lege rei oppositae, laudat coniunctim in Aegyptiis, quod in aliis per partes uituperauit, neque adeo forte putandus est uel κατὰ μέλη, uel μέλη sine adiectione, quae uocari ipse ποιήματα, solam dixisse modulationem uocis aut cantum, sed simul huiusmodi quoque cantum, qui et ῥυθμὸν, et ῥῆμα haberet, hoc est, ut ipse interpretatur, ποιήματα, siue ut Plutarchus, μέλος μετὰ λόγου ἢ ᾠδῆς. Praeterea Plato μέλη, perinde ac σχήματα, uult seligi, quo ὁρθότης, siue recti moris exemplum constituatur. atquin aliarum urbium

poetas coarguit, qui et modulatione, et oratione, mores iu-  
uenum corrumpant. itaque cum e contrario laudet Aegy-  
ptios, horum μέλη, τὰ τὴν ὀρθότητα Φύσει παρεχόμενα, non  
solum cantum, sed etiam cantum cum oratione coniunctum,  
sive odas cani solitas, complecti uidentur. quae tamen si cui du-  
bia uideantur, rei caput erit, ut ex Platone Platonem explicem-  
us. Hoc, in quo uersor, loco dicit, Aegyptios iam olim auctori-  
tate publica constituisse, quae, et qualia μέλη sint recipienda,  
neque ullis nouis in republica locum reliquisse. idem illud  
infra lib. VII. pag. 61. clarius exponit, ubi leges institutum-  
que Aegyptiorum singularis exempli loco commendat. quos  
praedicat, omnes cantus consecrassse: principio quidem festos  
dies statuisse diis, tum singulis deorum sacrificiis carminum,  
quae accinenda sint, rationem definiisse, deinde singula car-  
mina singulis consecrassse diis, postremo eum, qui alios inue-  
xerit hymnos, arceri uoluisse. ubi, quod primum μέλη di-  
xit, deinceps uocat ᾠδὴν, et demum, quod quaerimus, ὕμνους,  
quamobrem cum ipse Plato τὰ μέλη ueterum Aegyptiorum  
exponat ὕμνους, non alienum uidetur in argumento plane  
consimili Aegyptiorum μέλη, quae Isidi tribuuntur, antiquis-  
sima, et tanta religione curaque gentis illius conseruata, non  
solum modulos musicos, sed etiam carmina, siue eadem no-  
tione, quemadmodum nominat ipse Plato, ποιήματα inter-  
pretari. ex eodem inferiori loco Platonis, ni fallimur, intel-  
ligi potest, in loco illius superiori μέλη non meram cantus  
modulationem, sed amplius quid, et hymnos, odas, carmi-  
na simul indicare. alioqui constat quidem, μέλη in Gl. exponi  
de modulis, non minus tamen ibidem, et alibi, de carmini-  
bus adhibetur. Atque adeo praeter illa, quae Isidi nomine,  
ab ultimis tradita temporibus, celebrantur, huius generis  
plura fuisse apud Aegyptios, testatur idem Plato, quando ab  
iis cautum esse docet, qui tandem hymni singulis Diis et  
sacri-



sacrificiis rite et more maiorum destinentur. Porphyrius quoque Aegyptiorum tam ἕμνους, quos Diis, quoque die ter quaterue, canere soleant, quam ὑμνωδόν meminit, libri laudati cap. VIII, et IX. studium colendi res patrias, illorumque, qui res novas moliantur, et peregrinas confectentur, poenam confirmat, pariter ac Plato submonuit loco posteriori. Ut forte nihil impediat, quo minus Platonem simul de ipso carmine loqui putemus, et rursus mirum sit, si Linum, carmen peregrinum, Aegyptii asciscant.

### VIII.

At ubi transit ad Hymnos Herodotus, nondum excessit Aegyptiorum conuiuio, uerum sigillatim, differit de illo, quo Maneros celebrabatur, in conuiuio, inquam, uti dubitationem expedit Plutarchus lib. de Iside et Osiride pag. 557. hic uero cum alia permulta, eademque praeclara et commemoratione atque imitatione digna, Aegyptiorum laudat instituta, quale iam exemplum admonendi homines mortalitatis suae protulit, et postea repetiit Plutarchus: tum miratur unum omnium maxime carmen, quod tamen hic, si quidem uerba expendamus, non tam idem, quam simile proximumque illi, quod in Phoenicia, Cypro, et alibi celebratur, putare uidetur. ubi quidem Codd. scripti, quos euoluit Th. Gale, τὸ Λῆνος prorsus omittunt. neque id iniuria fortasse. nam γλῶσσα, librarii uitio, in contextum uidetur irrepsisse. Mutant autem plura libri manu exarati, et sic ordinant ἀπόδοσιν. καὶ δὴ καὶ αἴσιμα ἐν ἑστί (uulgo ἔνεσι. notauit alius ad oram, aut, quod saepius uideas, ad fastigium uocis, Λῆνος) ὡσπερ (uulgo ὅσπερ) ἔντε Φοινίκη αἰοιδιόντι (uulgo αἰοιδιός ἐστι) καὶ ἐν Κύπρω, καὶ (abest ἐν) ἄλλῃ. quod poterat in hanc forte sententiam reddi. *tum uero carmen unum est, sicut tale quid in Phoenice decantari solitum ac memorabile, et in Cypro, et in locis aliis.* Gl. αἰοιδιός, memorabilis. τὸ ἐν respondet τῷ ἄλλῃ.

τε πολλά, τὸ αἰδιμον, τῷ ἐπάξια. τὸ ἐν ἐπι firmat, quod dicitur  
 infra. καὶ αἰδοῦντε τάυτην μούσην εἶναι καὶ πρώτην. *cantilenam hanc*  
*unam esse et primam.* ut, carmen maxima commemoratio-  
 ne dignum fuisse, indicetur. Idem uero carmen, adiungit,  
 κατὰ μέντοι ἔθνη, *pro ratione gentium*, siue *secundum uarias*  
*gentium appellationes*, nomen habere. quasi hoc praecipien-  
 dum uideatur lectoribus, ne omnium continuo populorum  
 credant esse nomen, quod tamquam notius, et uulgo cele-  
 bratum, rei explicandae causa, subiiciatur, atque infra uoce  
 Aegyptiorum propria distinguatur. alioqui iam recitatae sunt no-  
 mina, Δίνος, αἰλιος, tum ἰάλεμος, ἀδωνιαοιδός, μανέρας, quae in  
 θεήναις censentur a Polluce lib. IV. cap. VII. n. 2. ubi enumerat  
 ἄσματα ἔθνικα. Illius igitur carminis non idem in Aegypto,  
 quod in Phoenicia, Cypro, Graecia, nomen.

IX.

Ab iis populis, apud quos consimile carminis genus erat  
 usu receptum, digreditur Graecus historiae pater ad Grae-  
 cos, non ad gentes alias, cum Graecis res peregrinas expone-  
 ret, atque in his reperiret aliquam cantionem, quae Graecorum  
 Δίνω respondere uideretur. eum uero de similitudine  
 rei sic iudicasse, necdum explorate de re pronunciaffe, am-  
 plius intelligimus, cum porro hunc quidem cantum, *coniicit*,  
*eundem esse*, quem *Graeci*, canere soleant *Linum nominantes*.  
 nam συμφέρεται αὐτὸς εἶναι est, non *inter omnes conuenit*,  
 ut H. Stephanus emendat, sed, more loquendi Herodoteo,  
 τοῦ συμβάλλειν notionem habet, et ponitur in coniectura, est-  
 que iam, *coniicitur idem esse*. id quod nec Valla, nec Ste-  
 phanus uel assecuti sunt, uel expresserunt ex fide, ut cogita-  
 te scienterque notat Aem. Portus in Dict. Ion. h. u. idem magis  
 firmat, quod sequitur, φαίνονται δὲ αἰετοτε τοῦτον αἰδόντες.  
 quod sententiae conuenienter, suo tamen incommodo, inter-  
 pretatur H. Stephanus. *quem uidentur iam inde ab omni*  
αἰετο

aëro cecinisse. Ergo Λίνον agnoscit Graecum, non Aegyptium, nomen, pariter ac Pausanias, qui dixit ἐλλήνιον ἄσμα. hanc notionem popularem et gentilitiam excitat animis, ut altera incomperta, et altius petita, huius comparatione facilius intelligatur. Atque adeo *miratur cum alia, quae sint in Aegypto, tum illud, unde tandem illud Lini nomen accepert, ut recte convertit Valla, fama uidelicet, eaque tanta, ut ad suos transtulerint conuiuandi ritus.* Codd. enim πληθοντικῶς legunt ἔλαβον pro ἔλαβς. idem emendat H. Stephanus ad oram. Videlicet persuasum erat Herodoto homini Graeco, Linum esse, saltim ciuitate domicilioque Graecum, in primisque carmen, quod in hunc extaret, esse Graecum. edoctus erat, Aegyptios patriis carminibus studere, repudiatis plane peregrinis. coniecerat, Linum populari Aegyptiorum lingua, quod submonet paullo post, dici Manerotem. Quocirca ei uenit in mentem mirari, non unde Lini nomen oriatur, sed unde tandem Aegyptii, qui tanto studio, publica etiam legē, a rebus exemplisque ac carminibus externarum gentium abstinere solerent, peregrinum Lini nomen accepert, quod in Manerota Aegyptia loquendi ratione, ut ipsi uideretur coniciendi, conuersum, uel sub Aegyptio Manerotis uocabulo occultatum, semper carmine celebrare uideantur. quam interpretationem tuetur ipse Pausanias, qui respexit ad Herodotum, et dixit, ubi luctus ex obitu Lini conceptus, dimanauerit ad barbaros, tum demum carmen extitisse, quod Aegyptii nominent Manerota. quod tamen Herodotus, circumspectis exploratisque rerum Aegyptiarum rationibus, subtimide et per coniecturam, id confidentius dicere uideretur Pausanias, quasi declararet, sibi non idem, quod Herodoto, mirum uideri: more Graecorum, qui fere nihil dubitabant asseuerare, quod a Graecis accepisse gentes aliae uideri

C

deri

deri possent. satius tamen est purgari Pausaniam, qui supra dixerat, *ὡς λέγεται*, et illud potius, quod fama tulerat, quam suam ipsius exposuisse sententiam uideretur. non potuisset certe non mirari, quod miratus erat Herodotus, si cogitasset, quae de moribus et auitis Aegyptiorum institutis dixerat uel Plato, uel alius rerum illarum narus. Sicut autem Plato miratur, Aegyptios ab omni aeuo ita popularibus et patriis studuisse carminibus, ut externa non admiserint: ita miratur Herodotus, eos peregrinam, et Lini nomine Graecis percelebratam, cantilenam recepisse, siue cantu quodam solemnem, eodemque in Graecia usitato, Linum sub nomine Manerotis colere, qui alioqui domesticis contenti carminibus, alienigenas cantiones non admittant. *Λίνον* dicit, non quod ita dicebatur Aegyptiis, sed quoniam, cum res Aegyptiorum literis Graecis mandaret, utebatur nomine, quod Graecis cognitum magis erat, atque usu loquendi tritum. subiungit enim, si quis audire et scire studeat, *τὸ Μανέρας*, qua uoce Aegyptiis ille, qui Graecis *Λίνος* dicatur.

X.

Ex quo intelligi potest, Herodoto *Λίνον* Aegyptiorum sermone nec nomen uiri, notionis affinitate Maneroti coniunctum, neque hymni, in laudem Manerotis, fuisse, contra quam eruditissimo est Clerico uisum. rursus Herodoto non nos, sed Pausaniam dabimus interpretem, cum ait. *ὡς καὶ Αἰγυπτίοις ᾄσμα γενέσθαι Λίνου.* sententiae congruit interpretatio. *siquidem apud Aegyptios carmen usurpatum est, quod Linum Graeci dixerunt.* Hic, ne quis forte Graeca confundat cum Aegyptiis, additur. *καλοῦσι δὲ τὸ ᾄσμα Αἰγύπτιοι τῇ ἐπιχωρίῳ Φωνῇ Ἡμανέρων,* uel e Suida emendante Fr. Sylburgio, *Μανέρων.* ubi *ᾄσμα* dicit, quod Herodotus, ex lege sermonis Ionici, *ᾄεσμα*, et quod consequitur, est fere, id quod dixit

inob

dixit historicus. ἔστι δὲ Αἰγυπτίσι ὁ Λίνος καλούμενος Μανέρως.  
 rem magis, quam uocis discrimen, sequitur Eustathius, et  
 Λίνον Aegyptiis carmen notare cum retulit ex Herodoto, sa-  
 tis habet, si rei coniunctionem et similitudinem designet.  
 Quod si feramus uulgatam lectionem illam, quae ἀεισμα Λί-  
 νον habet, eadem tamen, quae inferiori loco adiucitur, uox  
 Μανέρως obstat, quo minus Aegyptiis nomen appellationem-  
 que τοῦ Λίνου uindicemus. ne quid resideat scrupuli, quo-  
 modo apud Graecos Λίνος, sic apud Aegyptios simili notione  
 Μανέρως, et carminis et hominis nomen est. caussam disce-  
 pter I. Pollux, cui apud Aegyptios μανέρως est γεωργῶν ἄσμα,  
 iuxta ac γεωργίας εὐρετής, μουσῶν μαθητής, lib. IV. cap. VII.  
 Eubulo μανέρως καὶ περιμανός sunt ὀνόματα ᾧδης apud Sui-  
 dam h. u. et u. περιμ. & in ἀνιακκός. probe cum ueteribus  
 distinguit diuersarum gentium nomina, sed *Emanerum*, ut  
 diximus, mendose scribit, P. Morestellus Pomp. Feral. lib. II.  
 cap. XV. tantum abest, ut Λίνος, aequae ac Μανέρως, Aegyptio  
 sermoni tribuatur a quoquam ueterum, ut utrumque uer-  
 bum diuersa populorum lingua distinguatur. adeo, ut illud sicui  
 Phoeniciae originis esse uideatur, non pari tamen iure tri-  
 buendum sit Aegyptiis, praefertim cum idem ille S. Bochar-  
 tus, qui Aegyptium sermonem Ebraeis ignotum fuisse ostendit,  
 colligat amplius ex linguarum reliquiis, Phoeniciam ab  
 Aegyptia tam distare, quam Ebraeam, Chan. lib. II. cap. I. pos-  
 set quis, ut illud addam, mirari, Bochartum, cum uocibus  
 ex Herodoto explicandis operam daret, Λίνον omisisse, si qui-  
 dem in Phoenicia lingua animaduersione dignum putasset.

XI.

Cum autem cuncta, quae de Lino et Manerote dixit  
 Herodotus, mente et cogitatione complectimur, uix aliud  
 quam coniecturam, in similitudine luctus publici atque in  
 qua-

quadam meritorum comparatione positam, agnoscimus, ita tamen, ut ipsi Aegyptii neque Linum agnoscere, neque Herodoro, id quod coniecerat, sine ulla dubitatione penitusque persuadere uideantur. Manerotem Aegyptiis inuentorem Musices perhiberi, auctor est Plutarchus. nihilo minus de Lino praedicarunt Graeci, quod Dionysius apud Diodorum Siculum testatur. Apud Aegyptios in conuiujs cani et carmine celebrari solebat Maneros, eodem teste Plutarcho, non secus cantores et citharoedos ab Lino in conuiujs et choris, quibus in primis, more Graecorum recepto, et Plutarcho in Symposio auctore, conuiuandi hilaritas instruebatur, carmen orfos fuisse, in eoque deluisse, illi fidem faciunt uersus, quos supra recitau. Maneroti, tradit Pollux, Aegyptios inuentum ipsius agriculturae tribuisse. cuiusmodi de Lino, fautor, hic non succurrit: illud scimus tamen, eundem Onomastici scriptorem Manerotem Aegyptiorum, et Lityersem Phrygum, carmen georgicum dixisse, alioque loco Linum et Lityersem carmen agricularum et fossorum nominasse. atqui Lityersem *θηρων* dicit, quem canant messorum. utrumque uidetur conuenire in Linum, quemadmodum confirmat partim, quod meminimus e Polluce, partim quod ab Homero dicitur in clypeo Achillis, ubi canitur in uindemia Linus. ut uel hoc colligatur indicio, ibi *Λινον* rectius exponi carmen. Linum Pflamathae filium, a canibus pastoritijs dilaceratum fuisse, aiunt. ex quo Lini, carmine lugendi, ritum extrixisse, narrat Conon. potuit inde carmen inter agricolas manere, consuetudine populari celebratum, et per manus traditum, idemque potuit ab alijs uindicari eius honori, qui potiori iure mereri uideretur, potuit etiam idem, ut multa, populari errore tribui alii, ac debebat. hinc alii ueterum apud Eustathium carmen, quod laudat Homerus, non infanti

fanti puero, sed alii adultioris aetatis afferebant, quem iu-  
uenem agrestem, carminis inuentorem, nominabant. non  
secus, ac Lino *pastori diuinum carmen* tribuit Maro, Ecloga  
VI. u. 67. ubi Seruius. *quaeritur, cur pastor dixerit? nisi  
forte quod se Poeta sub pastoris persona inducit.* noui, Bu-  
colicae poesios legem postulare, ut personam suscipiant pa-  
storum, ex eaque persona dicant, qui non sint pastores. con-  
stat etiam generatim, ipsam musices originem Graecis inter  
pastores natam uideri, ut iam pridem docuit Iul. Scaliger  
Lib. I. itaque poetae quidam prisca erant pastores, uti uel He-  
siodi iactatur exemplum. hinc ipsum poesios genus, quod *βο-  
υκόμοι* alii, tamquam *bubulum*, alii *ποιμενικό* hoc est, *pasto-  
rale* dixerunt. ne plura dicam, poterat Linus, ex aevi prisca  
consuetudine, dici *pastor*, cum numeretur et in ultimis  
Graeciae musicis cum singulari honore, ut diximus, et in  
poetis, adeo ut in Virgiliano Musarum consilio tamquam  
princeps senatus Gallo laurum, siue, pro ratione instituti,  
fistulam impertiretur. itaque uix dubitem, quin hic Maro  
respiciat ad Lucretium lib. V. a u. 1385. ubi *tibiam* per ne-  
mora, siluas, et saltus repertam, *pastores* otio abundantes in  
locis desertis exercuisse dicuntur, et *agrestis Musa*, hoc est,  
ultima Musice et poetice memoratur. ubi If. Vossius ad Ca-  
tull. pag. 167. *tibiam* exponit *citharam* et *chordam*, et pro  
illo: *tum sunt omnia cordi*, leg. t. f. o. *chordae*. quem si au-  
dias, conueniet illud in Linum, qui aliis *citharam* s. lyram  
inuenisse dicitur, aliis uero in cithara s. lyra pro lino *chor-  
dam* adhibuisse, et agrestis iuuenis fertur, ut diximus ex Eu-  
stathio. erat tamen, cum cogitaremus quoque, non inepte, ne-  
que antiquitatis testimonio non conuenienter Linum dici pa-  
storem, quod primus Graecorum accessisse ad historiam ani-  
malium, et animantium fructuumque ortus tradidisse

perhibetur apud Diogenem Laertium. quidquid hic sentiamus de Lini scriptis, habuit certe Diogenes, quos sequeretur, et quos ante hunc alii legere possent. quod si fugiebat Seruium, id quod de Lini scriptis fama tulerat, Maronem certe, antiquitatis in primis et scientem, et diligentem, non fallebat. quod tamen sicut obtrudimus nemini, qui nondum alioqui, quod meminimus, abs quoquam meliora sinus edocti: ita nec paucis, neque ignobilibus exemplis moniti, putamus uniuerse, in tanta ueteris aevi caligine potuisse Lino illi, qui fama maxime celebrabatur, et alia, quae erant aliorum huius nominis, et illum, quem faciebant agricolae, lessum tribui, siqua tamen hic ad alios potius, quam ad illum pertinere Linum uideatur. illud saltem colligimus ex Herodoto, quaedam Graecos reperisse similiter in Lino, ac dixerint Aegyptii de Manerote. Ex harum quidem rerum consimilium comparatione existeret Herodoti probabile illud iudicium, Linum esse Manerotem. nec dixerim, neque assequi coniectura uel possim, uel uelim, cuncta, quorum hic in mentem uenerit Herodoto: in primis tamen eo coniecisse uidetur oculos, quod et Maneros et Linus rei Musicae efferebantur gloria, nec dissimilis argumenti cantu complorabantur. At hic, qui reperiebat aliqua in Manerote, a Lino non aliena, uidebat tamen alia, quae non omnino conuenirent in utrumque, eademque explicatu non adeo facilia, ut, cum inter se componere cuncta et conciliare non posset, coniecere hic mallet, quam confidentius asseuerare. Manerotem ferebant Aegyptii unicum filium primi regis sui: at Graecis persuasum erat, Linum, teste Pausania, Amphimari et Vraniae filium, uel aliis, ut perhibebant alii, parentibus ortum fuisse, ita tamen, ut et horum quidam ei fratrem darent Orphea, et uulgo eum ad Graecos potius, quam



quam ad alios populos referrent, ipsius Herodoti testimonio, cui uenit in mentem mirari, unde tandem tanta Lini, externi hominis, fama cum tanto nominis honore sit in Aegyptum perlata, et tanta celebritate confirmata. Maneros mature et ante diem decessit, ut accepit ab Aegyptiis Herodotus, idque, sicut uberius exponit Plutarchus, uel truci aspectu Isidis exanimatus, uel naui in mare excussus: Linus autem ab Apolline, artis musicae aemulatione offenso, interisse, eodem auctore Pausania, credebatur. Acerbi funeris lamentatione coli Manerotem, dixerant Aegyptii, sed coli propter Isidem deam, addit Plutarchus: at Linum propter indignum, quem subierat, casum, ac potius ob artis suae merita publicis, et anniuersariis, honoribus Graeciae affectum fuisse, Epigrammata, quae laudauimus, et Graeci apud Pausaniam poetae testantur. erant etiam, qui negarent, ullum fuisse Manerotem, et contenderent, loquendi genus esse, quod conuiuias deceat, ut officii ac modestiae admo-  
neantur. atque hoc illud esse, quod uelint Aegyptii nominando identidem Manerote. similiter ac mortui simulacrum in cistella circumferri solitum, monumentum non sit eorum, quae perpeffus sit Osiris, sicut putarint quidam, sed quod monitos uelint conuiuias, ut his utantur, quae adsint, et fruantur, tamquam mox ipsi quoque tales futuri, ob eam causam illam in conuiuia imaginem inferri. haecenus Plutarchus. ubi liquido simulacrum mortui hominis distinguit ab ipso Manerote, pariter atque Herodotus, ut inconsideratius agant uulgo, qui haec confundant. at alia omnia de Lino sentiebat Herodotus, quando non ignorabat antiquitatis de Lino iudicium, eumque in conuiuuiis, et alibi solemni et memorabili carmine celebrari, publicis etiam sacrificiis, tamquam Apollinem alterum, et summum antistitem

tem Musarum coli, et audiebat, et uidebat. plura persequi non uacat, praesertim cum iam supra dixerimus, Herodoto dignum memoria uisum fuisse studium singulare, quo res patrias et domesticas complexi, Aegyptii nullos externos in rempublicam cantus recipiebant. itaque, si Herodotus ex Herodoto explicandus est, idem illud scrupulum iniiciebat, ut rem miraretur potius, quam admirationis huius suae rationes explicatas haberet. sane nec Plutarchus, nec Pollux, neque Hesychius, nec Suidas, Linum, quod norimus, cum Manerote coniungunt, forte, quod in principe Herodoti loco, unde riuulos duxerunt alii, coniecturam magis agnoscerent, quam stabilem, neque impeditam difficultate, sententiam inuenirent.

## XII.

Ac mihi quidem consideranti, quae de Manerote prodita sunt memoriae, eademque comparanti cum illis, quae sacris literis de Moysen traduntur, plura, fateor, occurrunt, quae coniectura magis uero simili in Moysen, quam in Linum, conuenire uideantur. haec uero nos, diuinis eruditi monumentis, et facilius, et rectius distinguimus, quam Herodotus, qui percunctando didicerat illa quidem, multis tamen fabulis, ut moris erat in Aegypto, detorta, ut, cum Graecorum rebus institutisque innutritus esset, coniectura sua referret ad Linum, quae de Manerote dicta potiori iure pertinere uiderentur ad Moysen. uidit, neque id inficior, huiusmodi quid praestanti uir doctrina P. D. Huetius, et tanto facilius uidit, quanto cupidius elaborauit, ut omnem, quae de diis heroibusque ueterum extat, historiam ad Moysen reuocaret. dixit tamen quaedam, et quaedam non leuiora uel praetermisit, uel non pari studio inter se composuit, quae, ex occasione loci Herodotei, nobis negligenda non uidentur.

uidentur. Maneros, pariter ac Mos, Aegyptia nomina: a Mos autem Moyses, ut Maneros propius ad nomen Moysis accedat, si tamen uera est deductio, quam Fl. Iosephus, et Huetius sequuntur. Maneros, ortu Aegyptius, regis filius, in aula educatus, quibusdam, ut ait Plutarchus, Palaestinus dictus: Moyses in Aegypto natus, a filia Pharaonis susceptus et adoptatus, atque in modum filii dilectus, et sub faustis Aegyptii regis penetralibus enutritus, fama quoque gentis suae in Palaestinam eductae clarus. Maneros comes Isidis, et spectator arcae, in qua inclusus uehebatur Osiris. ubi contraria et peruersa rei gestae interpretatione, cuius alioqui causas fraudesque solertius aperit in Pharo Nic. Abramus, Ignatianus sodalis eruditissimus, credideris, dici puerum prosequi arcam, in qua sit ipse conditus, ut ipse Moyses tradit, et inclusus, qui ubi, iussu filiae Pharaonis ex aquis susceptus erat, ob eam rem nominabatur Moyses. Maneros puer in mare prouolutus dicitur illis, quos meminit Plutarchus: Moyses in aquas proiectus, et pro perduto ab ipsa matre habitus est. Maneros Aegyptiis inuentor agriculturae: Moyses Nacherotem docuit rationem bobus et tauris utendi ad agrum colendum, si audiamus Artapanum apud Eusebium. Maneros primus inuenisse Musicen, et Musarum fuisse discipulus fertur: Moysen doctrinis omnibus excultum, et omnis Musicae peritissimum fuisse, diuino et Philonis testimonio constat. Maneros primus memoratur in uulgus extulisse, quae didicerat a Magis, ob eamque rem sermonibus omnium percelebratus: Moyses Aegyptiorum sapientibus in disciplinam datus, et cum omnem, tum in primis reconditam illam, quam *συβολικὴν* uocabant, philosophiam, si Philoni et Cl. Alexandrino credimus, edoctus, quod usu uenit Aegyptiorum nemini, duce magistroque diuino afflatu, ea docuit et uoce uiuus, et scriptis mortuus,

tuus, e quibus sapientissimus quisque profecit, et diuinæ  
humanaeque sapientiae limpidissimi atque uberrimi fontes  
in omnes terrarum oras, et omnis aevi spatia, longe lateque  
se diffuderunt. Maneros ab Aegyptiis, Moyses ab Ebraeis com-  
ploratus. Maneros, ab excessu, diuinis honoribus afficitur  
propter Isidem, ut tradit Plutarchus: Moysen Aegyptios  
Deum dixisse, Cyrillus Alexandrinus, eundemque Aegyptiis  
tam admirabilem et diuinum uideri, ut eum sibi uindictæ,  
Iosephus, atque adeo in Deos relatam fuisse, G. Syncellus  
testatur. tradit Herodotus, unam et primam esse Oden,  
qua memoria recolatur Manerotis. quod quemadmodum  
capiam, non parum dubito, cum supra expositum sit, alios  
quoque Aegyptiorum hymnos fuisse, neque alii uideantur  
defuisse, quibus in conuiuio uterentur. nisi lugubri fatali-  
que huic cantui in conuiuio, quae feliciores cantus postulare  
uidebantur, soli publicae celebritatis locum fuisse restitum  
putemus. Ac talem quidem sui rerumque gestarum memo-  
riam, ut proprio quodam singularique, honoris elogio di-  
stingeretur ab omnibus, si reliquerit apud Aegyptios Moy-  
ses, tot editis rerum miraculis ad stuporem illustris, omnis  
sapientiae princeps, et summis ac diuinis plane uirtutibus et  
facultatibus a Deo extra ordinem cumulatus, uir sine exem-  
plo maximus: tantum abest, ut miremur, ut possit uix cre-  
di, potuisse tot tantarumque rerum deleri sensum apud po-  
pulum, qui, nescio quo insitæ superstitionis impetu, fereba-  
tur ad ea diuinis honoribus mactanda, non solum quae ei  
commoda, sed etiam quae noxia forent, ut coleret non mo-  
do solem, uerum etiam serpentes, *omnigenumque deum mon-  
stra*, ut loquitur Poeta. dixit huc aliqua non incommode H.  
Vitius in Aegypt. lib. III. cap. XII. sed plura dici poterant, si res  
moneret. Atque haec quidem multis partibus plenius, si com-  
parate loquendum sit, quadrare uidentur in Moysen, quam  
in

in parentem hominum Adam, in cuius personam refingere Manerotem studet uir alioqui non alio, quam publicae cuiusdam, et omnis aevi gentisque ingeniis instructae, Bibliothecae elogio nominandus, Ger. Io. Vossius lib. I. Theolog. Gent. cap. XXXVIII. comparate, inquam, loquimur, et, quod rerum maiori similitudine magis fit uerosimile, ob causas magis probabiles magis quidem amplectimur, nondum tamen inde fidentius exploratam et euidentem demonstrandi rationem conficimus, cum tot et tantis doceamur exemplis, in confusis uariaque aenigmatum obscuritate implicitis et dubiis Aegyptiorum rebus ac sacris esse illud fere certum, nihil esse certi, et, quod expositum est a pluribus, tantum fuisse gentis huius studium occultandi uariisque commentorum integumentis inuoluendi cultus, ut non male uideatur Aegyptios intelligere, qui credat, Aegyptios ne sese quidem ipsos saepius intellexisse. quod, ne discedamus a re proposita, cum maxime planum faciunt illi, qui negabant quidem, Manerotem umquam fuisse, ei tamen cultum praestare non dubitabant. hinc illa tam discrepantia opinionibus et pugnancia scriptorum iudicia: hinc tam dubiae et ancipites, tamque diffidentes, doctorum commentationes, quibus nihil aliud efficitur fere, quam ut coniectura coniecturam non tam certiori sententia corrigat, quam minus uerosimilena faciat, remque adeo et ipsa relinquat incertam. plane hic opus est Oedipo quodam coniectore, nec tamen sufficit ille Kircherianus, saepius Sphingis, quam Oedipi, munere functus, sed qualem ab inferis excitandum non temere expectaueris, cum non iam Sphinx ante templa collocata, perplexam de rebus sacris doctrinam, ut auctor est Plutarchus, custodiat, sed ipsa cum templis, et doctrinis, nisi quantum ab aliis obscurius et incertius traditur, cum mystagogis etiam suis, et cum ipsa demum ueteri Aegyptiorum lingua, cuius uix

lacerae sunt reliquiae, ruinis inuoluta sit et sepulta. Etsi uero nos, magis arcanis, atque Herodotus, et magis ad rerum gestarum fidem exactis, instituti literis, in historia Manerotis nonnulla deprehendere uidemur, quae uero similitudine ratione referamus ad Moysen: nondum tamen Hueticinae studemus ita sententiae, ut ex Manerote et Lino pari iudicio faciamus Moysen, cum, ne repetamus alia, nobis ex coniectura loquatur Herodotus, atque alia repugnent, quae de Lino, secus ac statueramus, alibi exponantur.

### XIII.

Ab Aegyptiis ad Phoenicas ut commigremus, in horum quidem usu cantum lugubrem reperire uisus est Herodotus, illi non dissimilem, quem Manerota Aegyptii, Linum uero Graeci nominarunt. quod de Phoenicibus minus forsitan mirerentur ii, quibus ipsum Lini nomen est Phoenicium, de quo tamen supra iam expositum est. addimus hic, cum Herodotus lugubrem Oden illam uel eandem, uel aliquam ei similem, deprehenderit in Phoenicia, neque eam alii nesciuisset Graeci uideantur, ut nomen non generale, sed singulare fuisse intelligatur: utrinque mirum uideri, quid tandem sit, quod Phoenices nominatim nusquam, quod sciamus, Linum, Adonim uero et Gingham complorasse legantur. Sane uideretur Herodotus, quod recte obseruat Th. Galeus, ad illas spectare uenias, quibus Adonis plangebatur. cantum uocat *αδωνιαοιδὴν* I. Pollux lib. IV. c. VII. si uulgatam lectionem sequamur. qui tamen locus fuit H. Stephano, Sebero, Sopingio, et aliis iam dudum suspectus. Bochartus quidem, quo solet ingenio, cantilenam hanc e Phoenicio sermone repetit, et noua quadam suspicione studet illius ex Hymno Dauidico I. Paralip. XXIX. 13. non solum initium reddere, sed etiam ab hoc initio ipsam rationem appellandi, more Hebraeis recepto, deducere, Chan. lib. II. cap. XI. ex quo illud ad

ad utilitatem instituti nostri redundare poterat, τὸ Ἀδωνιασμο-  
 δὸς et τὸ Μανέρω, ex illius sententia, apud Pollucem ad idem  
 genus carminis referri. At enim Codd. legunt pro Ἀδωνια-  
 σμοδὸς ὁ δὲ ἄδων ἱμασμοδὸς, eaque scriptura Pollucem emen-  
 dant Iungermannus et Kuhnius, et nupera editio uocem il-  
 lam expungit e contextu, et tamquam *monstrum horrendum ingens* profligat. non sollicito temere, neque impugno  
 fidem Codicum: si tamen ἀδωνιασμός apud Pollucem, per-  
 inde atque apud Hesychium, legi posset, et sectione, quam  
 hic omittunt quidam libri manu scripti, sublata, uerborum  
 series sine interruptione procederet: uideri posset sententia  
 non inepte sibi constare, et tam ἀδωνιασμός, quam Maneros  
 ad Θρήνους, quales sunt, reuocari. quo tamen pacto rerum  
 similibus magis, quam earundem forent cantus, secus ac  
 uulgo Pollucis auctoritas ad explicationem rerum solet adhi-  
 beri. quidquid statuamus de loco Pollucis, id quidem li-  
 quet, Ἀδωνιασμὸν fama et solemnibus gentium luctu celebratum  
 fuisse. Hesychio ἀδωνιασμός est ὁ ἐπὶ τῷ Ἄδωνι θρήνος. hinc  
 Pollucem corrigendum putauit quondam Sopingius. eundem  
 lectum meminit Aristophanes Lysistr. ubi uide Odoard. Bi-  
 setum. Sunt autem plura, in quibus Adonidi cum Lino,  
 et cum Manerote, conuenire uideatur. mittamus illud, uel-  
 ut in loco doctis suspecto, a Polluce Ἀδωνιασμὸν, ut quidam  
 legendum duxerunt, et Λίνον in eundem locum conferri, et  
 sublato ex fide Cod. Iungermanniani lemmate, utrumque  
 uerbum in θρήνοις censeretur. planctus Adonidis memorabilis in  
 primis erat comploratione mulierum lamentantium, quae  
 mortuum conclamabant illacrymantes, eidemque feralia  
 carmina concinebant, ut in Alcibiade et Nicia testatur Plu-  
 tarchus. quas mulieres nominat, ubi luctus ingentis indi-  
 cium facit, Amm. Marcellinus lib. XIX. hoc autem erat Ἀδωνια-  
 σμὸν ἄγειν, seu, ut exponit Suidas, Ἄδωνιν κλαίειν. nihilo secius



ad Linum complorandum missae sunt mulieres Argiuae, quarum Ἐρήνος tam decorus fuit, ut harum demum exemplo poetae Linum canere, eiusdemque mentione uim affectui didicerint addere, si credimus Cononi Narrat. XIX. ubi demum aliquid, ut alibi multa, fabulatori, nec tam cui, quam quo iure, et quid tribuatur, consideremus. Ἐφύμνιον quidem, quod meminit Conon, ad honorem Lini refert ipse artifex Etymologi M. ut dixi. Anniuersarium erat institutum celebrandi Adonia ritu ueteri, ut tradunt idem Ammianus lib. XXII. et Naso Metam. lib. X. ad hunc modum Lino parentalia fiebant, et quoque anno sacrum lugubre repetebatur ante, quam M<sup>us</sup>is res diuina fieret, ut Pausanias testatur. Nomen Adonidis suauitatem et concentum interpretantur Fulgentius Mythol. lib. III. cap. VIII. et Phornutus. atqui Linus inuentor rhythmici et modulationis Diodoro. Vox eiulationis, qua lamentantur Adonim, crebra, αἰ, αἰ, ut indicat Aristophanes Pace u. 424. 425. nec tantum familiaris erat huic luctui, sed tamquam Adoniorum propria, testimonio Bionis, in cuius Eidyll. toties iteratur, iuxta ac uerbum inde conflatum. hinc αἰζω, αἰάζω, ἀντὶ τοῦ Ἐρηνώ. plenius dixit Theocritus, αἰάζω τὸν Ἄδωνιν, Eidyll. XXIII. nihilo minus αἰ αἰ ingeminatum fuisse saepius in lamentatione Lini, adeo ut inde demum collocaretur αἰλινος, monent quidam. quamobrem Sappho Lesbia cum uideret a Pampho Linum dici οἰτόλινον, nomen ab eo mutuata, Adonim simul et Oetolinum cecinit, teste Pausania. Amplius Adonis Orientis, et sigillatim Phoenicibus est Graecorum δεσπότης, et κύρις siue κύριος, ut explanat Hesychius. iam Marnas idem uiris doctis uidetur, ac Maneros Aegyptiorum. erat autem Marnas non templum, ut perperam exponunt quidam, uerum simulacrum, quod Gazae, urbe Phoeniciae, magna religione colebatur, ut fidem facit ὁ ἔθνικογράφος h. u. atqui Marnas, uocem



cem a Syris sumtam, exponunt κύριον ἀνθρώπων Iof. Scaliger, Io. Seldenus, et S. Bochartus. Ex similitudine lamentationis modulatae, qua utebantur Maryandeni, constat, Manerotem non solum comploratum, sed etiam uocari et cieri solitum fuisse, ut tradit Athenaeus in XIV. cap. III. non secus de Adonide liquet ex Aristophane, et aliunde. ut hinc denuo colligas, Codd. magis, quam rem impedire, quo minus ille Pollucis locus, ex Hesychio restitutus, de Adonide capiatur. uix enim expleuerit animum, quidquid ibi notatur. Aiunt apud Plutarchum, qui Manerotem ἠθικῶς intelligi uolunt, fermonis esse genus, quod apud Aegyptios admoneat modestiae conuiuas. pari modo Gingras Phoenicibus dicitur Adonis, ut constat e Polluce, aequae ac commissantium acclamatio, ut docet Iac. Dalechampius ad Athenaei lib. XIV. in primis Hesychius, f. sic integre legendus. γίγγρι ἐπιφώνημα τι ἐπὶ Ἀδωνίδι κατὰ κῶμον λεγόμενον. Tum constat, luctum, quo Phoenices prosequerentur Adonim, his cum Aegyptiis, praesertim, ex fide Scholiastae Theocritei ad Eidyli. V. Alexandrinis, tam communem fuisse, ut huic demum modus, ipsorum arbitrato Aegyptiorum, in Phoenicia statueretur. nam Bybli, urbe Syriae Phoeniciae, templum fuisse Adonidis, tradit Strabo lib. XVI. ibidemque Adonim festo anniuersarioque ritu complorari, adeo ut ciues uerberibus lace- rentur, et lamententur, ritusque sacros peragant, et magni luctus per regionem indicantur, oculatus est testis Lucianus de Syria Dea. idem uero plangendi ritus Aegyptiis in more positus fuit, atque eodem, quo in Phoenicia, tempore cultus, adeo ut moeroris publici finis non aliunde, quam ex Aegypto, afferretur. namque Alexandriae, quo die sacrum ἀδωνιασμῶν ingenti et communi quodam luctu Bybli solebant fieri, epistolam olla seu uase iunceo, uel papyra- ceo, inclusam, adhibitis ceremoniarum solemnibus, in mare defere-

deferabant, ut Byblum deferretur, et repertum, quem lugabant omnes, Adonim nunciaret. hoc nuncio ad Byblienses, quae cupidius expectabant, mulieres perlato, planctus atque eiulatus in gaudia et plausus uertebat, magnaue hilaritate, quod reliquum erat sacri, transigebatur. tradit breuius loco supra indicato Lucianus, uberius autem Procopius Gazaeus ad Es. cap. XVII. et Cyrillus ad eundem. haec, et his similia sunt, quae testentur, non dissimilem lugendi materiam apud Graecos, Aegyptios, et Phoenicas fuisse. ubi tamen, re diligentius expensa, non dixerim, sitne ideim Adonis, ac Maneros, et uterque Linus, praesertim cum ipsorummet Bybliorum nonnulli contenderent, esse apud se Osirin Aegyptium sepultum, eamque luctus et publici ritus celebritatem Osiridi, non Adonidi, institui, quemadmodum idem refert Lucianus. nec uero hic disceptauro, sitne Osiris idem, qui Adonis, uti pluribus uisum est, e quibus colligit H. Vitfius, eum Adonidis complorandi ritum in Osiridis *ἀΦανισμῶν* coepisse, Aegypt. lib. II, cap. II. Omitto, quae de Adonidis apud Aegyptios comploratione loquuntur *ἀδωνιάζουσαι* Theocriti *είδ. ιθ.*, et quae Suidas exponit, nisi quod mirer, in altero H. Volsium, uirum alioqui doctissimum, Byblum, nomen urbis pro nomine uiri accepisse. ut negotium conciliandi inter sese, quae hic sibi non satis constare uideantur, relinquamus aliis, saltem non alienum uidetur ab Herodoti mente, solemnem luctus et lugubris carminis celebritatem, qua Linus apud Graecos, et Maneros apud Aegyptios deplorabatur, referri ad similem ritum Adonidis, in Phoenicia cum primis, desendi.

#### XIV.

Cyprus, perinde ac Phoenicia, luxit Adonidem et coluit, atque adeo tale luctus argumentum praebuit Herodoto, quale sibi uisus est in Manerotis et Lini *θηναϊκῶν* inuenire.

nire. hic Amathus, urbs Cypri perantiqua, incluta fuit fama ueteris, quod Adonidi sacrum erat, fani, ut tradit in Boeoticis Pausanias. Publico autem ritu colebatur Adonis Osiris, et quem sibi tribuebat Aegyptus, eum non minus sibi uindicabant Cyprii et Phoenices, ut testatur Stephanus Byzantinus u. ἀμαθούς. ubi pro ἄδωνισ ὄσσις coniunctim ἄδωνόσσις, neque id sine exemplo ueterum, legit Abr. Berckelius, idque eo loci, ubi magnis ingenis aqua haesit. illud saltim intelligi potest, quem alioqui singulis nominibus crebrius, Adonim quidem Phoenices, Osiridem uero dixerint Aegyptii, eum coniunctis Cyprios, Phoenices quoque subinde, usurpasse. idem tamen de Alexandrinis pronunciat Suidas, et factum ait κατὰ μυσικὴν θεοκρασίαν, u. ἡραίσκος, et Photius pag. 1050. ut illa demum Adonidis et Osiridis sacra Phoenicibus cum Aegyptiis communia fuisse uideantur, qui alioqui sacris, eorumque ritu magnopere dissidebant inter sese, sicut ex Athanasio recte hic obseruatur. quamquam Athan. Kircherus duos excitat Adonides, alterum Cyprium, alterum Byblium, quos putat in similitudine argumentoque commentitorum numinum, ut fieri solet, uulgo confundi, in Oed. Aegypt. T. I. Syntagm. IV. cap. IX. de quo uti uiderint alii, sic nobis ad rem propositam satis est, Adonin solemnium luctu non minus cultum fuisse a Cypriis, ac Phoenicibus, quam ab ipsis Aegyptiis et sigillatim Alexandrinis.

XV.

Latius tamen, ut ait Pausanias, dolor ex morte Lini susceptus, manauit, barbarasque gentes incessit, perinde atque Herodotus consimile publici moeroris argumentum non solum apud Phoenices et Cyprios, sed etiam in aliorum populorum consuetudine aut agnouit, aut agnoscere

E uifus

uisus est. hic uero qua sit assentiendum Pausaniae, nihil  
definitio: tanto propius tamen illa, quae de Adonide dixi-  
mus, ad Herodoti sententiam uidentur accedere, quanto  
plures populi moerore publico Adonin celebrasse memo-  
rantur. Assyrios ac Syros Adonin coluisse, eiusque caussa  
suscepisse luctum, meminit Macrobius Saturn. lib. I. cap.  
XXI. et qui prior nominandus erat, Lucianus de Dea Sy-  
ria. Laudat Ptolemaeum Kircherus, quo auctore, populi  
Trigono Aquilonari subiecti, lugent Adonin, et sacra faci-  
unt *μετὰ θρήνων*, siue cum lamentis. Scriptor Chron.  
Alexandrini Thammuz interpretatur Adonin. *Θαυδς, ὅστις*  
*ἐπυρνέεται Ἀδωνισ.* illius mentio fit apud Ezechielem, ui-  
rum diuini Spiritus, ubi reddit Hieronymus *mulieres*  
*plangentes Adonidem.* Adonin H. Grotio uideretur expo-  
suisse, quod, sicut a populis aliis lugebatur Adonis, ita  
Thammuz a Chaldaeis, qui menscm quoque illius nomine  
signarint. Latinorum plerique doctorum, antistitem Stri-  
donensem secuti, quem indicaui locum, capiunt de Adoni-  
de, quasi ritus Adonidem lugendi, plurium gentium con-  
suetudine scriptorumque commemoratione celebratus, iis  
in locis uiguerit, ut obseruat Io. Seldenus Synt. II. cap. XI.  
ubi tamen neque interpretationem Hieronymi, neque alia,  
quae ad illum sacrum disputantur locum, expendere, no-  
stri est instituti, non magis atque illa persequi, quae uberius  
edisseruntur a uiris doctis, quibus iidem sunt Adonis, Tham-  
muz, Osiris, quod inter alios exponit Io. Marschamus Can.  
Chron. Sect. I. uiderint alii, quorum interest, qua quodque  
fide, quoue iure dicatur. illud denuo propositi rationibus  
sufficit, quod de Syris et Assyriis modo dictum est, consimi-  
lem Adonidis lugendi ritum gentibus Asiae non incognitum  
fuisse. De Graecis, et sigillatim de Atheniensibus, quae addi  
possent,

possent, sciens praetereo, pariter atque illa de Macedonum urbe, quam Dium nominant, ubi Adonim coli comperit, et spreuit Hercules, ut notat enarrator Theocriteus Eidyll. XV. Omitto simulacrum Adonidis, quod in sacro loco, ubi natus erat Seruator, statuit Adrianus, Paullino quamlibet indignante Ep. XI. ad Seu. Nec uero dignum, quod referatur, ducimus pudendum Iuliani exemplum, qui Antiochiae cum mulierculis Adonia ludebat, nisi quod Gregorio Nazianzeno dignum seuera animaduersione uidebatur, eoque nomine Iulianus dicebatur Adonaeus Or. I.

#### XVI.

Sunt illa quidem, quae de Adonide diximus, a Manerote non aliena: nec desunt tamen, quae hic dubia uideri possint. ne plura dicamus, Adonis idem est, qui Osiris, si audiamus quosdam. iam Maneron distinguit ab Osiride Plutarchus, quem ait, duorum filiorum, quos res Bybli procreauerit, natu maiorem fuisse, ablatumque ab Iside, cum eaque, et cum arca, in qua fuerit inclusus Osiris, alio asportatum. quod si Adonis atque Osiris sunt, uti uisum est aliquibus, iidem, luctus idem, quo celebrabatur Adonis, non perinde referetur ad Manerotem. nisi dicamus, Maneron pariter cultum fuisse cum Osiride, qui eadem in mare exciderat nauis, qua uehebatur Osiris, adeo ut in Aegyptiorum conuiujs Manerotis atque Osiridis memoria recoleretur, quod Herodotus et Plutarchus testantur. Vtrum uero illa, quae edisseruimus, nomina ob similitudinem sacri lugubris ad unum referenda sint Linum, adeo ut diuersis gentium nominibus idem rite publiceque colatur, quantum dubito, tantum dicere non ausim. Duas quidem, constat, celebritatis illius luctuosae partes fuisse, ex diuersis diuersarum caussarum temporibus descriptas. alteram ἀφασισμὸν, alteram <sup>εὐπερίην</sup> dicunt. nam principio extincti mortem deplorabant, tum reuocati ab inferis reditu in uitam lacta-

laetabantur: ut solemnna, cum dolore et plangore coepta, gaudio finirentur. utrumque moris fuisse in utroque tam Adonidis apud Phoenices, quam Osiridis apud Aegyptios, planctu iamdudum compertum est. iam obitum Lini comploratum fuisse, ostendimus: at Linum reuixisse unquam, eaque recepti spiritus opinione gaudii sensum excitasse in animis, neque usquam abs quoquam, quod memoria teneamus, uel dictum creditumue, uel ullo festae celebritatis indicio proditum est. stat intra luctum, quidquid de Lini planctu uel historia, uel fabulae tradunt. idem confirmant, quotquot extant, supraque commemorata sunt carmina, in Linum. itaque illud nobis non fumimus, ut conficiamus, sub Adonide coli Linum, non magis, ac Linum coli sub Manerote. expediant haec, et his similia, qui uolent, sed expediant sine comminiscendi libidine commentorumue trices, et coniecturas pro explorata sententia non obtrudant, et doceant post alios, quantum possunt, utrum Adonis ueteribus fuerit solus Deus, an Sol, an frumentum, utrum Bacchus, Osiris, Maneros, Linus, an Iosephus, Moyses, aut quo demum cunque censendum nomine putarint. nobis hic operam ponere cum pro parte liceret, prorsus tamen non libet, ubi coniectura coniecturam refellit, et ipsa paullo post refellenda. Ad exponendam Pausaniae atque Herodoti sententiam nobis satis est, adeo Graecis, et quos uocabant Graeci, barbaris, lugubri ritu cantuue comploratum fuisse Adonin, ut ab honore lacrymarum tot tantarumque *δακρυότιμος* diceretur in Orphicis, atque ut illius moeroris, quo Pausania desideratur Linus, si non aliter, similitudine saltem uique luctus, mensuram propius impleuisse uideatur. Iam fidei, quam dedimus, intererat, ut Huetianae, quam legimus de Lino, sententiae rationem propius iniremus, expensisque rerum momentis, in alterutram partem de ea statueremus.

Sed alio differendum est, quod hic scripturae modus non capit, et alia commentatio expectat

99 A 6955


ULB Halle 3  
002 823 764




sb.

1078  
V317 Retrav









5

*D. B. I*

AVSPICIO RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI  
SERENISS. PRINCIPIS REGI  
**FRIDERICI AVGVSTI**  
*DISSERTATIONE POSTERIORE*  
**AINON AICMA**  
PRAESIDE  
**IO. GVILELMO BERGERO**  
POES. PROF. PVBL  
*A. D. XII. KL. MARTIAS*  
A. R. G  
*∞. 10C CVIII*  
*EDISSERET*  
**M. IO. SAMVEL LVPIVS**  
DELITIO MISNICVS

---

*VITEMBERGAE SAXONVM*  
PRELO GERDESIANO

